



00

6

PROGRAMMA
IN FUNERE
SERENISSIMI ATQUE POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
ERNESTI
AUGUSTI,
DUCIS BRUNSVIC. ET LUNEB.
S. R. I. ELECTORIS, EPISCOPI
OSNABRVCENSIS, &c. &c.

ORATIONI
IPSO EXEQUIARUM DIE

A. D. XXIII. MART.
ob. I^cc XCVIII.

IN ACADEMIA JULIA
HABENDÆ
PRÆMISSUM.



AD EXEMPLAR HELMSTADIÆ EXCUSUM.

HANOVERÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII, AULÆ ELECT. Typogr.

PROGRAMMA
IN PUNERE
SERENISSIMI AEGAE POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
ERESTI
AUGUSTI
DUCIS BRUNSVIC ET LINNEB
SRI ELEGATORIS ERICORIS
OSNABRUCENSIS ECCL
ORATIONI
EXAUDI MURM DIE
AD XXIII MART
S. II XCIV
AN XXXII
HABENDA
PER



AD EXEMPLAR HERMITSACRA RECENSUM
HABENDA
EXEMPLAR AVAMONI, ET ALIA SIC TIBUS



PRO-RECTOR ET SENATVS
ACADEMIÆ JVLIAE

CIVIBVS SVIS

S. P. D.

Imensi lucis argumentum attulit
Cal. Febr. dies X. dies atro carbone
in fastis notanda, & inter inauspicata-
tas in posterum referenda, quæ Serenissimum &
Potentissimum Principem ac Dominum Domi-
num ERNESTUM AUGUSTUM
Ducem Brunsvicensem & Luneburgensem Sa-
cri Romani Imperii Electorem, Episcopum Os-
nabrugensem, Patrem patriæ Dominumque no-
strum, dum viveret, longe clementissimum acerbo
nobis crudelique funere subtraxit. Habent hoc
magni & de genere humano excellenter meriti
Principes, ut illorum funera nunquam non a-
cerba, id est, cruda & immatura videantur,
ut, quamvis mortali statione decedant senes,
desiderentur & lugeantur ut juvenes. Vixe-
rit ergo sibi satis beatissimus Elector, qui ad
extremam venerandæ senectutis metam fere
accessit.

(2)

D

accessit : vixerit gloriæ , de cuius maximis in .
 Remp. merit is nulla ætas conticescet : ad desideri-
 um certe populi sui parum vixisse omnino videtur.
Quisquam ne est civium cuiuscunque ordinis . cui
 justo , benigno , felicique Electoris imperio foveri
 contigit quin intelligat , quantam universa patria
 in Augusto hoc capite jacturam fecerit ? Deslet
 illa atque desiderat securitatis suæ & tranquilliti-
 tatis Statorem salutis & egregij publici custodem
 atq; vindicem , communisque felicitatis autorem
 & Parentem . Hujus Principis vigiliis suas do-
 mos defensas : Hujus curis laboribusque otium
 sibi partum & præstitum : Hujus æquitate & pro-
 videntia non recreatam se modo & conservatam ,
 sed illustratam & ad altius culmen evectam grata
 prædicat æternumque prædicabit . At quibus
 datum est divinas animi ingeniique dotes in tan-
 to Heroe mirari proprius , qui in palatio militantes
 seu in partem curarum publicarum vocati , seu
 Domus Augustæ ministeriis exhibiti incredibile
 Heri sapientiam animique magnitudinem cæte-
 rasque tanto fastigio dignas virtutes quotidiano
 usu spectarunt , sed nunquā satis perspexerunt ;
 quanto illos affligi dolore , quanto tam generosi ,
 tam indulgentis Domini desiderio teneri est con-
 sentaneum ? Quod plebem Romanam , cum ac-
 cipiebat congiarium , Impp. acclamasse accep-
 mus :

De

*Idem non est dubitandum, quin quivis sub-
jectorum civium, quivis fidelium ministrorum,
ex animo fuerit precatus, & subinde pro salute
tam benigni Domini, imo communis omnium.
Parentis vota faciens si non verbis, mente sal-
tem exclamaverit:*

De nostris, AUGUSTE, Tuos Deus augeat annos.
*Qvam gravi porro, quamq; alto vulnere Sernissi-
ma Domus sit percussa, quis dignè possit explicare?
Electrix sane vidua, Princeps sui nominis, incom-
parabilis illa & eminentissima SOPHIA, &
quod omnia elogia absolvit, digna quondam ER-
NESTO AVGVSTO conjux, cælesti genio
& divina quadam sapientia supra mortalium
fortem, supra casus humanos, supra fortunæ
injurias dudum posita & erecta, huic uni dolori
cedit, huic imparem se ultro fatetur. Serenissi-
mus SVCCESSOR qui unus aliorum lu-
ctum minuit, tantum Patrem ipse inenarrabi-
liter luget, & dudum capeſſendo imperio ma-
turus, tardius pro sua pietate Reip. guber-
naculis optasset admoveri. Sed quo prolabi-
mur? quis finis aut modus foret, si, quem cel-
lissima Liberum pignora, quem arclissimæ ca-
ritates & necessitudines ex inestimabili iſta ja-
ctura dolorem capiunt, enarrandum sifcipere-
mus? Non careret profanæ temeritatis nota in
ista*

ista veluti sacraria Heroicarum mentium introspicere, illarumque motus ac sensus vulgari captu metiri & interpretari velle. Reverentius forte fuerit uti ingenio illius pictoris, qui quam oris mœstiam penicillo se effingere posse diffidebat; velo faciei obducto spectatoribus reliquit intelligendam. Obnubantur ergo sacro silentij velo Augusta illa ora, cœlestesque illi oculi, quorum Serenitas hac una clade turbari potuit, & quem nec mente assequi, nec verbis exprimere luctum possumus, lectoris non imperiti animo cogitandum relinquamus. Neque vero intra unius aulae penetralia consistit luctus, non intra patriæ universæ limites cohabetur, sed cognatorū Regum Principumque aulas late implet; Germaniam omnem & imperium pervagatur: quod fortissimum salutis libertatisq; publicæ propugnatorem præcipuumque Rei communis fulcrum & columnen sibi erexit dolet. Quid? quod ne alieni quidē expertes sunt illius doloris, quem in generosissimo quoque pectore excelsæ virtutis de medio sublatæ contemplatio excitare consuevit. In luctu ergo tam communi, tam justo, quid tandem huic Iulie sit anni oportet? quod si externus esset Princeps, nec ullo nobis peculiari beneficio cognitus: indigna esset, quæ litterarū & humanitatis domicilium audiret Julia, nisi & sensu quodam doloris tangetur, qui tot Principes gentesq; occupat nec nomen ejus

ejus gloriamque pro virili celebraret, cuius inge-
 tia facta posteritas omnis venerabitur. Nunc ve-
 ro cum idem ille tam desideratus, tam abundans
 omni laude et iam nobis contigerit Princeps, ut de
 omni Republica sic de hac Academia sua imor-
 taliter meritus: qui fieri posset ut nec Julia no-
 stra plurimum doloris sentiat, quæ plurimum cepit
 detrimenti? nec sanctam Patroni Nutriciique
 sui memoriam conservet, à quo benignissime est
 habita, maximisque beneficiis ornata? Herculem
 antiquitas Musageten finxit, id est, Comitem du-
 cemque Musarum, quas in tutelam suam Vir for-
 tissimus non sine causa recepit, illarum commen-
 datione vicissim æternam nominis gloriam conse-
 cutus. Utrasque partes & Herculis & Musage-
 tæ abunde explevit gloriose memoriae Elector,
 & monstris bellorum domandis fortissimam na-
 vans operam, & Musarum huic sedi tuendæ or-
 nandæque non parum curæ principalis tribuens.
 Meminimus in quæ tempora inciderit Electoris
 gubernatio, quam illabellis aut belli metu perpe-
 tuuo infesta fuerint & turbulentæ. Unde salus Reip.
 & tranquillitas fortissimo Principi armæ induit,
 cumque ad justum exercitum, incredibili sum-
 ptu parandum alendumq; adduxit, quo rei chri-
 stianæ communique Europæ libertati æterna nomi-
 nis suigloria felicissime subvenit. Cæterum inter
 Martias illas curas, in illo Europæ concusse motu,

(o)

Musas nostras clementissime respexit divus Elec-
tor, & in voracissimi belli impendiis ne terrunciu-
m quidem de redditibus rei Academicæ & littera-
riae dicatis substraxit, aut in alios usus trans-
ferri passus est. Unde factum ut non solum pre-
clara multorum juveniū ingenia Electorali mun-
ificentia fuerint adjuta largisq. subsidij ad perse-
quendum liberalium studiorum cultum instructa,
sed & stipendia nobis sine ulla interpellatione ipsa
die semper fuerint persoluta, nobisque adeo velu-
ti in summa tranquillitate, intimoque pacis simu-
sapientiae bonarumque artium studiis vacare li-
cuerit. Neque desunt alia multa & magna pro-
pensiissimi animi in hanc Julianam suam documen-
ta, quam par cum reliquis Potentissimis Nutri-
ciis nostris (quos Deus diu diuque servet!) affectu
tenebrime fovit, ejusq; commodis & incrementis
indulgentissime prospexit. Hujus ergo felicitatis
sed prob dolor! amissæ tristi recordatione, tan-
tæque adeo jacturæ sensu confernatur Julia,
luctuque & squalore deformis gravissimum sibi
Patriæque casum deplorat, fatorumque impen-
dientium metu & sollicitudine trepidat. Impris
mis infandum dolorem renovat imminens ex-
equiarum dies, qua Serenissimi Filii & Successoris
pietas Illustres magnæ animæ exuvias Christiano
ritu componi, Majorumque monumentis infer-
ri curabit. Hæc enim dies nobis in mentem

revo-



revocat imo oculis nostris efficacissime subjicit,
 & quantum nobis divino munere fuerit datum,
 & quantū luctuosò hoc fuenere sit amissum. Quo-
 rum alterum æternum mentibus nostris cultū
 venerationemq; imprimit; alterum perpetuum
 nobis luctum desideriumque relinquit. Utrius-
 que affectus cum omni tempore specimina &
 signa proferre par est, tum isto maxime die, quo su-
 premū pietatis officium justis exequialibus rite so-
 lutis Patri patriæ desideratissimo præstatur.
 Atque utinam, quam in proclivi nobis est lu-
 ctus non ficti argumenta dare, tam facile nobis
 promptumque esset dignum tanti Herois gloria
 nec impar devotissimæ nostræ venerationi conde-
 re monumentum! Multa excogitavit prisca &
 recentior ætas, quibus suam erga magnos & de-
 Rep. bene meritos Principes pietatem declara-
 ret, no menque illorum & memoriam æternitati
 commendaret. Ostentat nobis Ægyptus Regum
 suorum conditoria, ingentes Pyramides & obeli-
 scos, superbas quidem luctantesque cum tempo-
 ris edacitate moles, sed non tam virtutis ille-
 cum, qui illic sunt conditi, quam potentiae eo-
 rum, qui illas condidere, indices atque testes.
 Mausolo Regi Cariæ Conjux Artemisia exstru-
 xit nobile illud omniumque litteris celebratum
 sepulchrum, eâ operis magnificentia, ut inter
 septem orbis miracula referretur, similibusque
 dein-

deinceps monumentis nomen suum commodaret.
 At litteris illud famam atq; æternitatem debet:
 ipsum cineribus, quos servare debebat, dudum
 est adæquatum. Hadrianus Imperator splen-
 didam quidem excitavit molem, Romanæ hodie-
 num securitatis arcem, quæ corpusculi reliquias
 conservaret; sed animulæ, vagulæ, blandulæ, lo-
 cum, quo se reciperet, parare neglexit; quem se
 ignorare notis illis versiculis futetur. Illud quo-
 que ad eximium honorem defuncti perennemque
 memoriam valere credebatur, si statua illi vel e-
 questris vel pedestris poneretur; sed illa corporis
 speciem referre potest, præstat vero intueri ima-
 ginem animi, à quo laus omnis virtutis recte q; fa-
 ctorum promanat. Quin & eo vanitatis prolapsi
 sunt gentiles, ut Principes mortuos consecrarent,
 & in numerum Deorum referrent, aras, templa,
 flamines maxima cum ceremonia Numini à se
 facto decernentes. Sed non tam illos honore
 affecerunt, quos Deos credi voluere, quam sibi
 notam inussere vel stultæ credulitatis, vel tur-
 pissimæ adulacionis. Christianus Princeps sum-
 man gloriam in eo ponit, ut divinæ gloriae Majes-
 statem afferat, à qua suæ Majestatis splendor ve-
 luti à sole radius emanat. Deprimitur Princeps,
 qui in Dei solium evicitur: & humana Majestas
 violatur, que cum divina adæquat. Nobis ve-
 ro dispicientibus, quo genere honoris devotum pi-

umq;

umque gloriæ Electoris memoriæ animum testari liceat , nihil horum in mentem venit , quæ nec humana conditio recipit , nec fortuna nostra permittit . Veneramur sanctissimos Principis manes , nec in sinu Dei Servatoris requiescere dubitamus , qui Dei vicem in his terris pure castaque sustinuit . At in illos ipsos effemus injurii , divinos cum illis honores cultumque religiosum uni Deo debitum communicantes . Non nostræ est artis cælare statuas , Augustamque oris speciem scalpro effectam ærive incisam posteriorum venerationi exhibere : at figuram excelsi animi nostris mentibus subjicimus , virtutumque , queis Maximus Princeps fulsit imaginem summa cum admiratiⁿe & reverentia conservabimus , famam factaque illius perpetua laude bonisque recordationibus prosequentes . Longe excedit fortunam nostram marmoream excitare molem & parare Mausoleum , quod tanti Principis magnitudini respondeat : at memoriam optimi Patriæ parentis nostrique Musagetæ intra pectora nostra dicabimus & consecrabimus , ne ultimo quidem casu abolendam . Hujus animi nostri immortali Electoris gloriæ meritisque æternum devotitessis atque interpreserit Vir Nobilissimus atque Amplissimus CASPAR CORBERUS eloquentiæ Prof. Publ. & ordinarius Collega noster honoratissimus ,

(o)

mus, qui ipso die Principalium exequiarum excelsissimæ Electoris memoriae solennem habebit orationem, & in divo ERNESTO AVGVSTO Magni Felicisque Principis imaginem venerabitur. Non opus erit, Cives, multis verbis vos admonere, quid in luctu isto publico vestri sit officij, nec longiore uti cohortatione, ut pietatem atque obsequium vestrum hoc tempore nobis approbetis. Quod in hoc bonarum mentium Prytanéo tranquille & secure vacare musis, liberalis doctrinæ augere opes, artesque & omnis generis scientias vobis seculoque profuturas addiscere licuerit; id Divi quoque Electoris Nutricij hujus Academiæ benignissimi providentia ac munificentia deberi intelligitis. Quare justa illa parentalia, quæ Patriæ suoque Parenti eo majore devoti animi religione quò minore paratu & specie mæsta persolvet Julia, & Vos, qua pars est, subjectissimi cultus significatione celebrabitis & orationem supremis Divi Electoris honoribus ipso die exequiarum, qui erit mensis hujus XXII., horis pomeridianis in luceo majore recitandam eo pietatis sensu audietis, ut appareat Vobis & venerationi esse immortalem maximarum virtutum gloriam, & dolori Principis de communi patria & re Academica incomparabiliter meriti jacturam. Nam & vos involvit illa clades, quæ omnes tangit, nec securi otiosique Principis Optimi

(10)

Optimi fata transmittetis, à quibus Reip. fata
pendere constat. Non aliud certius olim habe-
batur imminentis exitii presagium, quam cum
Dii Præsides geniusque loci excedere, perituras-
que sedes veluti deserta statione destituere cre-
debantur. Excessit prob dolor! atque reliquit
suas provincias, suos populos Is, in quo sacrosan-
ctam supremi Numinis imaginem vicariamque
potestatem sumus venerati. Quis vero tam stu-
pidus est, quin agnoscat, irritatum nostris culpis
esse Numen, quod, quem nobis Deum tutelarem
concesserat, cuius auspiciis & felicissimo imperio
Patria salva, incolmis, & omni rerum copia
florens est conservata, eum summa Reip. vigilia
semotum ad se revocavit? Quo magis æquum
piumque est votis supplicibus adorare Deum, ne
in majus Reip. detrimentum vertat, ne in com-
mune exitium vergat ista jactura, atque ut,
quem veluti pignus gratiæ cœlistis nobis reli-
ctum gratulamur, nobis quoque & bono publico
conservet, dignissimum & Optimo Parente Fili-
um & Maximo Principe Successorem, quem Tantus
Pater genuit, quem Tantus Princeps for-
mavit, Serenissimum & Potentissimum Princi-
pem ac Dominum, Dominum GEORGIVM
LVDOVICVM, Ducem Brunsvicensem &
Luneburgensem, Sacri Rom. Imp. Electorem,

)()(

Domi-

•

Dominum & Nutritum nostrum Clementissi-
mum: cui quod Imperatori Alexandro Severo
fienatus Romanus, magna spe & subiectissima
Sductia acclamamus: In Te salus, in Te vita ut
vivere deleget, in Te omnia, per Te omnia, quæ
amisimus, habemus; Deus Te servet! Valete.
P. P. in Academia Julia. A. D. XXII.
MART. c^{is} I^c XCVIII.



-7 Aug 1992

78 N 26

ULB Halle
003 902 129

3



1077

PROGRAMMA
IN FUNERE
SERENISSIMI ATQVE POTENTISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI,
DOMINI
N E S T I
J U G U S T I ,
R U N S V I C . E T L U N E B .
ELECTORIS, EPISCOPI
A B R V G E N S I S , &c. &c.
R A T I O N I
E X E Q U I A R U M D I E

A. D. XXIII. MART.
ob Iac XCVIII.

ACADEMIA JULIA
HABENDÆ
PRAEMISSUM.



AD EXEMPLAR HELMSTADI EXCUSUM.

HANOVERÆ,

Literis SAMUELIS AMMONII, AULÆ ELECT. Typogr.

